

Vide Gall. l. 12. c. 3.

h Vide P. Roger Terr. Sainte l. 2. c. 17. pag. 325.

Afor, colliga manus, caput obnubilo, labori infelici suspendio [g]. Apud Mahometanos nostrâ etiam ætate nulli sunt lictiores, sed eorum vicibus funguntur milites, sive Judicum famuli, qui præ aula foribus adfidentes vix pronunciatam à Judice sententiam mandant executioni (h). Non rara suppetunt etiam exequenda iustitiæ militibus commissæ in Historia Ro-

mana exempla (i); quanquam apud illos nec lictiores deerant, neque carnifices. De Claudio Imperatore narrat Suetonius in Claud. c. 34. Cum & spectare antiqui moris supplicium Tiburi concupisset, & delictis ad palum noxiis Carnifex deceret, accitum ab Urbe vesperam usque opperiri perseveravit.

i Suet in Claud. c. 26. Flagellavit veste detractâ, subiectâque militum pedibus, quò firmè verberaturis insisterent. Idem c. 32. Miles decollandi artifex, quibuscumque è custodia capita amputabat.

## I N LIBRUM JOSUE PROLEGOMENON.

**J**OSUE, de cujus nomine Liber appellatus est, Osæ primùm, nempe Servator, deinde Jehosua, seu Jehobuab i. e. qui salutem afferet, vel Servator à Deo datus, nuncupabatur. Immutati nominis sive tempus sive occasio prorsus incerta; vel enim in causa fuerit belli cum Amalecitis strenuè ac prudenter confecti gloria (a), sive reditus ab exploranda Chanaanitide, ambigitur (b). Solus enim tunc, unâ cum Caleb, Dei partes sequutus est, cæteris omnibus seditionis & murmuris authoribus populo, vano ab illis metu confternato, sese præbentibus (c). Quare Moyses fidei ipsius in Deum præmium, veteri Osæ nomini alterum forsan adjecit, nempe Josue, ut deinceps binominis esset vir; quemadmodum & de Jacob memoriæ proditum est, cui alterum Israelis nomen inerat. Patrem habuit Nun de Tribu Ephraim. A Græcis æquè appellatur Aure, vel Ausem, ac Jesus filius Nave.

a Vide Orig. hom. 11. in Exod. Theodor. 9. 34. in Exod. Lact. lib. 4. cap. 17. de vera Sap. b Vide Orig. hom. 2. in Josue. Epist. Barnab. pag. 13. Tertull. l. 3. cont. Jud. Justin. Dial. cum Ty. pb. Aug. l. 16. e. 19. cont. Faust. c Num. 13. 17.

Totum se in clientelam Moysis jam inde ab egressu ex Ægypto addixerat, honorificum sibi ducens si tanti viri obsequiis se totum impenderet, pro laudabili felicitium eorum temporum more, quo voluntaria & gratuita officia amicitia non pecuniâ comparabantur. Quantum autem in viro posuisset fiducia & estimatio, non obscuris rarisque Moyses ostendit, exemplis; huic enim expeditionem in Amalecitas commisit; hunc socium adhibuit cum mons Sinai, recipiendæ Legis Divinæ gratiâ, sibi fuit ascendendus; hunc tandem inter cæteros ad inspicendam Chanaanitidem selectum voluit. Tandem Josue post exhibitam fidelem Moysi servitutem, dignus est habitus, qui Moysi successor in gubernando populo à Deo daretur.

Fato igitur functo Moysè, Josue rerum potitus, per Jordanis vada incolorem exercitum trajecit, eo vel simili prodigio, quo Moyses Erythræum transfretaverat. Nube autem, cujus ductum ad id usque Israelitæ sequuti fuerant, jam evanescente, Josue pro insita sibi à Deo prudentiâ, acce-

ptâque à Deo normâ reliqui itineris ordinem disposuit. Quare post celebratum primùm Pascha in Galgalis, inde iter Jericho versus susceptum est. Eo cum pervenissent, septem succedentibus diebus Urbi exercitus circumactus est, semel per singulos dies; septimâ verò die, Sacerdotalibus buccinis clangentibus mœnia spontè corruerunt. Succedentes igitur in Urbem Israelitæ flammis omnia compleverunt, & stragibus, ut sola inclytæ Urbis rudera supersessent. Rahab una ex cæteris omnibus Civibus, ejusque familia universa jussu Ducis servata est; reliqua omnia anathemati devota; dirisque etiam devotus à Josue qui readificandæ Urbis consilium suscepisset quæ deinde post plura seculari Hiel filium Bethel corripuerunt. Post captam Jericho, urbs Hai parum ab illa distans, angusta illa oppidè & parva, 3000. militum armis tentata est; sed frustra, nam erumpentes ex Urbe cives, hostes non sine cæde repulerunt. Inopinato eventu territus populus animis despondebat, cum Josue coram Domino prostratus, insaulti eventus in causa fuisse didicit servatam à quopiam prædæ Jerichuonitæ anathemati devotæ portionem. Quare jactis fortibus, Achan criminis reus inventus est, quod lapidatione expiare ipsum, cum cæteris rebus omnibus ad illum spectantibus, coegerunt.

Tunc prona omnia, namque Hai nullo negotio in potestatem venit. Eâ receptâ, juxta præceptum Domini olim per Moysen traditum, ventum est ad verticem duorum montium, Garizin, & Hebal, ubi & monumentum erectum, & innovatum cum Domino foedus. Cum castra ad Galgalam secundum hæc populus haberet, Gabaonitæ supervenientes, legatione se à populo remotissimo fungi incautus persuaserunt; petere autem se, ut foedus secum iniretur, quod inconsulto à Israelitis Domino impetrarunt. Sed brevè fraude deprehensâ Josue, intellexit inivisse se, cum populo foedus anathemati jam devoto; quare servitibus Tabernaculi Domini & totius populi gentem illam obligavit.

Hoc

Hoc Gabaonitarum cum Israelitis foedus gravius habentes finitimi Reges, juncto simul quinque eorum foedere, exercitum in Gabaon duxerunt. Josue foederatis sibi populis succurrendum ratus, opportunus cum advenisset, hostes prælio fufos magnâ cæde prostravit. Hujus prælii occasione datus de Cælo prodigiis Deus pro Israele pugnavit; nam & lapidibus in Chanaanos Cælum pluit, & Sol ac Luna cursum sistentes suum, diem cedendis hostibus opportunum Hebræis prorogarunt. Ejus victoriæ fructus tota Chanaanitidis meridionalis regio in Hebræorum potestate relicta est.

Felici armorum Israelitarum successu, tum & prodigiorum fama sollicitati Reges Septentrionales Chanaanitidis imminenti malo occurrendum sibi, junctis viribus, duxerunt. Commisso prælio victoria stetit Hebræis. Tunc Jabin Rex Afor, reliquos populos Regesque simul collectos in unum exercitum ingentem sanè ac validum armavit. Castra locaverat ad Merom, ubi commisso cum Josue prælio, fusi fugatique Chananei terga vertere coacti sunt. Omnia victoribus cedebant; neque coacti à Deo tot Reges ac populi alâ de causa videbantur, quam ut majoris victoriæ fama Duci ac populo compararetur. Porro quanta fuerint bella, quam magni momenti expeditiones, ex numero devictorum Regum facillè colligimus; namque ad 31. recensentur, atque juxta Scripturæ phrasim, nullus in iis locis Princeps relictus est, qui victrices Israelitarum manus graves in se non experiretur (d).

q Josue 11. 19.

Post receptam in fidem Regionem, Ducis curæ omnes intentæ fuere assignandæ singulis Tribubus portioni, ut nulla præberetur querelis & invidia in perpetuum ana. Primus omnium Caleb præmio donatus est, quod illi Deus peculiare fuerat pollicitus, spectatâ viri fide delectatus. Jactis deinde fortibus, singulæ portiones singulis Tribubus Juda, Ephraim, & dimidiæ Manasse (alteri enim dimidiæ jam erant sedes) assignatæ sunt.

Ne res perficeretur intercessit ignota nobis causa; nondum enim sunt assignatæ portiones Tribubus Benjamin, Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephtali, Dan, sicut & Josue. Regionis dimensiones per totam provinciam missi, ut æquas portiones dividerent, quæ deinde singulæ jactu sortium distributæ sunt. His peractis, 48. Urbes in sedem Levitarum assignatæ, & quibus segregatæ sex in asyllum iis, qui imprudentes hominem peremissent. Accidit inter hæc, quod penè Israelitas omnes inter se commiserat; namque Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse reduces in assignatam sibi Regionem trans Jordanem, in ripa ejusdem fluminis Altare erexerunt, perpetuum sui cum cæteris Israelitis consensus monumentum. Rem pessimè acceperunt Israelitarum reliqui, constitutam Aram irreligionis, & apostasiæ spiriti rati; quare missis ad fratres legatis, ecquid rei esset quaesiverunt? Reponentibus

illis, nihil se contra avitam Religionem, & Israelitarum concordiam attentare voluisse, murmur quievit.

Inclinans jam ad exitum Josue, collecto in Sichem populo, beneficia prius omnia à Domino præstita exposuit; tum & foedus innovari fancivit, quo scilicet in electum Domini populum accepti jam fuerant, ejusque innovati publicum extare voluit documentum. Diem clausit, ac deinde sepultura mandatus est in Thamnath-Sare, quam urbem in sedem elegerat. Hæc summa historiæ Libri Josue.

Operis hujus Author sine controversia idem creditur, cujus nomen Liber præfert; præfert autem Josue nomen in omnibus æquè Exemplaribus Hebræis, Græcis, Latinis, cæterisque. Author Ecclesiastici tradit cap. 46. 1. Josue successor Moysi in Prophetiis, seu ut Græcus habet, in Prophetiis i. e. juxta plures, in historia populi Dei, sacrilique Libris scribendis. In extremo ejusdem Operis capite cap. 24. 26. hæc legitur: *Scriptis Josue omnia verba hæc, nempe ad minus omnia, quæ in eodem capite continentur.* Si verò postremi hujus capituli author credatur Josue, cur non & reliqui libri, cum in ipsum reliqua omnia quadrent? Quis illo magis norat singillatim omnia in eodem libro relata, aut in quem alium unquam omnes ejusdem Operis characteres conveniant? quis præ illo debuisset res ab eo gestas memoriæ mandare? Per injuriam prorsus ambigeremus an Opus illud Authorem haberet coævum; vel saltem si ab altero recentiori Authore digestum reputaretur, ex monumentis tamen alterius Authoris Josue coævi judicandum esset. Ex sunt enim temporum, locorum, & personarum circumstantiæ; ea sunt singularium virorum, rerumque nomina expressa, atque singulares rerum eventus designati, ut Authorem omnino prodant ætate æqualem, qui explorata à se omnia posteritatis memoriæ commendaverit.

Inficias tamen non iverim, additamenta quedam in Libro notari, ab alterâ, quam Josue, manu apposita; quare facillè concedimus Scriptum hoc, quale habemus, alterum, post Josue, Authorem recensuisse. Hujus operâ locorum nomina, tum & notulæ quadam adjectæ sunt, rare tamen, & minoris momenti, sicut & facillè à reliquo præfati Authoris contextu distinguendæ. Par igitur de illis judicium feramus oportet, ac de sententiis in Libris Mosaicis adjectis; Prophetas scilicet, Moysè & Josue recentiores, adjiciendum sibi aliquid censuisse, quod nihil immutatâ historiæ fide, atque narrationis serie, obscure dictis lucem afferret. Profectò si ex additamentis istis invidiam in reliqua omnia antiquitatis monumenta creare voluerimus, quod unquam Opus à censura erit immune? Producat, quæso, Liber, cui ab Amanuensium Lectorumque incitiâ, sive longioris temporis oblivione impositum aliquid non fuerit? Hæc sanè in Libris Prophætorum Authorum maculas appellamus, veneramus in Divinis

Scripturis, persuasum habentes nihil in illis nisi Divinum fide, & veneratione dignum contineri. Addimenta illa veluti reliquum Textus accepta ab eodem Spiritus fonte, per sanctissimorum Virorum canale, derivantur. Excipimus tandem errata quaedam Amanuensium, quae in Libris Sacris facile poterant irrepisse; neque enim Religionis auctoritate ad ea recipienda adigimur, quin & jubemur rejicere, si forte in apertum prodierint.

e Josue 8. 28. Succendit Urbem, & fecit eam tumulum sempiternum. f 1. Esdr. 2. 28. Et 2. Esdr. 8. 32. Viri Hai, & Bethel centum viginti tres. Et 2. Esdr. 11. 31. Josue 15. ult. Jebusaei autem habitatores. Jerusalem non potuerunt filii Juda delere; habitavitque Jebusaeus cum filiis Juda in Jerusalem usque in praesentem diem. h Josue 16. 20. Habitavitque Chananeus in medio Ephraim usque in hanc diem. i Josue 17. 29. Ephraim non interfecit Chananeum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo. \* Josue 15. 16. Et Josue 17. 12. Josue 19. 37. Josue 18. Josue 19. 27. Ibid. vers. 29. Josue 13. 20. Josue 16. 2. Et Josue 18. 13. Josue 10. 13. Josue 12. 16. Josue 14. 7. Josue 10. 13. Josue 12. 18. Josue 9. 13. In lib. de Vita sua.

Certam recensiti hujus Libri etatem vix possemus definire; quin & accidisse facile potuit, ut varii variorum temporum Prophetarum ad id opus manum admovent, Urbis Hai Authoris aetate eversa adhuc jacebat (e); quam tamen restitutam sub Regibus inde constat, quod post reditum de captivitate substiteret (f). Urbem Jerusalem tenebant Jebusaei simul ac viri Tribus Juda & Benjamin (g); unde facilis conjectura ducitur, vixisse Scriptorem illum ante Davidis aetatem, qui Urbem, pulsus Jebusaeis, totam vindicavit. Nondum etiam Ephraimita Gazer possederant (h); sed pristinis permixta civibus Urbem tributariam habebant. Idem animadvertere licet in Libro Judicum (i); ex quo inferitur non immerito Authorem recensiti primùm hujus Operis Josue supparem, vel ferè supparem sub Judicibus fortè vixisse. Quis enim sibi facile persuaserit, sub Davide & Salomone Chananeos quietos in ea Urbe mansisse? Facilius sanè relinquere poterant sub Josue, & sub Judicibus; non enim pristinos omnes incolas ab avitis sedibus Josue expulit. Quae autem in Libris Judicum de Gazer legitur, eorum quae apud Josue extant, velut repetitio quaedam habenda sunt. Sed alia suppetunt in eodem Libro loca, quae Authorem sub Regibus vixisse insinuare videntur. Ita scriptam legimus historiam conjugii ab Axa cum Othoniele inchoati; quod sanè nonnisi post obitum Moysis, ineuntibus Judicibus, contigisse reputatur (\*). Expeditio etiam Danitarum in Lezem, quamvis in Libro Josue relata; ad Judices pertinet (k). His omnibus addi possunt nomina Chabul (l), Tyri (m), Galileae (n), Luza (o) Josal (p), post Judices, uti ferunt, cognita. Sunt qui credant Librum Justorum, saepius in eodem Opere laudatum, sub Regibus tantum exaratum fuisse (q). Tandem historia obitus Josue, quae librum claudit, ab altero sanè quam ab ipso Josue scripta rectissime creditur. Quamquam post ingenuam, quam praemittimus, confessionem de locorum quorundam additamentis, nihil tamen Fidei & moribus officientibus, nullo sanè negotio iis, quae in hunc Librum obiciuntur, facilis pateret responsio; non est tamen cur futiles alioqui objectiones istas sine peculiari discussione negligamus. Terra Chabul, de qua sub Salomone mentio (r), altera quidem creditur ab ea, cujus est nomen apud Josue; illa enim regio erat vicis complexa; altera verò vicis tantummodo Josephi aetate non incognita (s). Quod ad Tyrum spectat, susus de aetate ejus

Urbis conditae in Commentario differimus. Nomen Galileae in hoc Libro pro finitima aliqua regione usurpatur; quare argumentum ex hoc nomen deductum, quasi scilicet Scriptorem prodit longè viro illo recentiore, spontè corrui. An fortè Urbes Luza, & Josal, de quibus in hoc Libro, eadem sunt, acalae cognomines, de quibus in Libris Judicum & Regum? Peritissimi Interpretes distinguendas censent. Quamquam testimonium ex Libro Justorum ab aliena manu adjectum videtur, frustra enim ab Authore laudaretur Liber, qui nihilo majorem, quam Author qui Opus scriberet, exigeret fidem, ac frustra testimonia congereretur in re tum temporis exploratissima; non agrè tamen crediderim hunc Librum parum aetate Josue fuisse recentiore. Facile Commentarii erant publici & vetusti in Tabernaculo asservati, opus Sacerdotum, & Scribarum, quibus id muneris committi solebat.

Notus est apud Samaritanos Liber Josue, sed alter planè à Libro Josue, de quo nobis in praesentiarum. Samaritanorum ille Chronicon exhibet, vel historiam, male congestam rerum seriem à Moysis obitu usque ad Imperium Adriani referentem. Porro Liber iste sub nomine Chronici Samaritani tandè votis Fruitorum frustra expectatus, in manus Josephi Scaligeri incidit, cujus supremis tabulis, publicè Lugduni Batavorum Bibliothecae legatus est. Vernaculo Arabum sermonem Samaritanisque characteribus digeritur. Nunquam Latine prodiit, cum Hottingerus, qui versionem meditabatur, satis antea functus fuisset, quam consilium suum executioni mandaret.

Hac Scripti, sive historiae, quam Josue imputant, summa. In ipso Opere vestibulo status Hebraeorum sub Moysè primùm in deserto, dein in Chanaanite sub Josue; ac tandem sub Judicibus brevi contextu exhibetur; nec illud omittitur de Josue ac de Eleazaro, quorum illum Legislatòr populi Ducem alterum verò Sacrorum Principem constituit. Succedit in Madianitas expeditio, atque tota Balaami historia, cujus perniciosi consilii factum est, ut Israelitae cum Madianitarum puellis commiserentur, quod eorum crimen & ultionem in illos Moysis & necem in Balaamum provocavit. Plura interim admiscuntur, de quibus altum est in sacris Hebraeorum Libris silentium.

Excipit haec omnia obitus Moysis, cui Josue non funebri tantum pompà, sed & panegyricà etiam oratione, ac tandem lucu 30. dierum populus universus parentavit. Josue rerum potitus explorator ad Jericho mittit, quibus ad exercitum restitutus, ipse unà cum copiis Jordanem, non sine prodigiis illis, de quibus in Libro Josue, aliisque ab Authore adjectis, transvadavit. Jericho post haec expugnatur; Achan commissi criminis reus punitur; Gabaonitae Israelem circumveniunt, quinque federati Reges Gabaon oppugnantes funduntur. Prosperum hunc armorum

rum suorum successum Josue per literas columbae tanquam veredario commissas Eleazaro Summo Sacerdoti nunciavit; addens insuper, non prius se reverfurum, quam Chanaanitidem universam subjugasset. Redux jam in montem sanctum Garizim ascendit, ubi & populum recensuit, lustravit, sacra obtulit Deo, totamque regionem in duodecim Tribus divisit.

Data insuper remeandi ad Transjordanam facultas Tribubus Gad, & Ruben, quae suppetias lature fratribus suis Chanaanitidem subigentibus venerant. Non antea tamen remissa sunt, quam illis Rex Nabichar, cui universus pareret Transjordanus populus, praesceretur. Excitavit autem Josue Templum in monte sancto Garizim, atque interim toto spatio 20. annorum quieta omnia in Israele manserunt. Secundum haec Sauber Rex Persarum, filius Regis Heman, illius nempe quem Josue neci tradiderat, bellum indixit in Hebraeos, accito sibi in societatem ingenti Regum numero, ut junctis cum illis armis, patris sui necem ulcisceretur. Sauberi litera 10. die secundì mensis ad Josue relate sunt, à quo juri dieundo in populo interim occupato, non antea quam proximo festo Paschali ab Israele celebrato, in publica optimatum concione exposita sunt. Tum scripto ad hostes responso, tumultuarium exercitum 300000. virorum collegit, iterumque eorum militibus Sauberi literas recitavit, suasque inter referendas literas Legato federatorum Regum, à quibus priores receperat, commisit. Redux ad suos Legatus ille, vires & potentiam Hebraeorum adeo exaggeravit, ut nominis Hebraici terrore omnium pectora repleret.

Sed mater Sauberi, adhibito sibi in socium seniori quodam Mago, despondentes animis confirmavit, adnatum se Mago illo pollicente, ut omni artis suae ope victoriam illis assereret. Nec defuit promissis; nam prodigia Hebraeorum copiae adeo se viri callidi praestigis fascinari ex-

perta sunt, ut septem veluti ferro contructis parietibus includi opinarentur. Sed vix insonante Summi Sacerdotis Eleazari buccina, & praestigia omnia evanescere, & hostes subito terrore corripì, atque in fugam converti visi fuere. Antè Sacerdotalis buccinae prodigium, Josue clausum se tot ferreis parietibus feriens, angustias suas Nabichur filio patris sui, & Regi Tribuum Transjordanarum per literas renuntiavit, rogans ut subsidiarias copias quantocius mitteret. Nec ille serendo auxilio segnior, valido statim cum exercitu accurrens, suà ipse manu Regem Sauberum transfodit, atque insignem cum exercitu Josue victoriam de hostibus reportavit.

Aliquanto post Josue diem clausurus, successorem reliquit Babelè Tribu Juda, & Calebi nepotem. Babelè excepit Terfius Ephraimita. Altum est apud Authorem de aliis Judicibus Israel silentium, excepto Samone. Additur post haec, historia obitus Eleazari Summi Sacerdotis, tum & altercatio inter filios Phinees, & Heli Summum Sacerdotem pro munere sacrorum offerendorum; nec omittitur Samuel, sicut & historia capta à Philisthaeis Arca, ac tandem Bachtenazis (ita Nabuchodonosorem appellat) Regis Persarum, Jaddi & Alexandri Magni, ac tandem obfidio Jerusalem sub Adriano Imperatore. Sequitur genealogica series Principum Samaritanorum, quorum haec sunt nomina, Akban, Nathanael, Barabba, qui nepotem suum Levi addiscendarum literarum gratia Constantinopolim misit. Rediit inde ad montem sanctum Garizim. Ex his omnibus facile intelligimus, 1. Librum & historiam Josue Samaritanos non latuisse; quam tamen veritatem pluribus fabellis inferferunt. 2. Librum, quem illi Josue appellant, alterum planè esse opus, ac illud à Josue duce Israelitarum scriptum. 3. Tandem Librum hunc recentissimum esse, si exordium Operis & finem ad unum eundemque Authorem pertinere constituamus.